



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

12. De incitamentis amoris Dei

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

continuares! Desiderium cum hac perfectione amoris frequentandi hic protrahendum more consueto cum propositis practicis.

III. Quām perfectē B. Virgo prædicto modo actus externos amoris exercuet, imò omnia sua opera etiam ex se indifferentia ex motu perfectæ charitatis peregerit; tantò utique perfectius, quantò eius intellectus erat illuminator, affectus inflammator, habitus charitatis intensior: quo ipsa deinde à fomite peccati; à remoris amoris proprij erat immunior, in omnī virtute solidior, Deo coniunctior! quanto tandem interuallo in his operibus charitatis perfectissimè tota vita continuandis superarit benedictam Matrem benedictissimus Filius, ob similes rationes in ipso longè sublimiores! Desiderium in his B. V. & Christum ipsum imitandi subnecendum.

### De Incitamentis amoris Dei.

### XII.

I. Expende præcipua aliqua ad assiduum perfecti amoris Dei exercitium incitamenta, quorum primum sit, *Quod sit optimum medium infinitam Dei erga nos dilectionem, benignitatem & liberalitatem modo quo nos possumus prestat.*

*stantissimo compensandi.* Cum per illud  
summum quod possumus bonum illi  
velimus, fauemus, optemus; nosipso  
quoad intellectū & affectum in ipsum  
transformemus; omne quod illi placet,  
amore eius amplectamur, & exequi  
conemur; nec ipse aliud querat tam  
ardenter nos amando, tam luculentia  
amoris signa nobis exhibendo, quam  
ut amantem redamemus, & amorem  
reipsa testemur. Quid amanti Deum  
& infinitas penè eundem redamandi  
obligationes cognoscenti optatus el-  
se posset, quam in promptu habere  
tam expeditam rationem tam profuse  
Dei liberalitati & dilectioni satisfa-  
ciendi? Quoties se B. Virgo & alij  
Sancti hoc motiuo ad vehementius  
Deum amandum extimularint, idque  
tanto ardenter, quo clarius inestima-  
biles diuinæ benignitatis, charitatis,  
liberalitatis diuitias sibi tam profuse  
communicatas agnouerunt! Feruor  
proficiendi in assiduo exercitio amo-  
ris Dei.

II. *Quod sit efficacissimum medium*  
immania peccatorum, ingratitudinū,  
pœnaliū restantium debita expedire  
dissoluendi, & ingentes meritorum  
thesauros breui colligendi. Nam per

heroicos charitatis actus supposita sacramentali confessione, aut in casu necessitatis vera contritione, grauissimum scelerum & intolerabilium suppliciorum remissio impetratur, iuxta illud Christi: *Remittuntur illi peccata Luc. 7. multa, quia dilexit multum.* Et illud D.

Iacobi: *Charitas operit multiitudinem peccatorum, & immensum quodammodo sanctificantis gratiae augmentum acquiritur, cum per actus amoris ex tota latitudine habitus elicitos, ante acquisitus charitatis & gratiae gradus semper in duplum augeatur;* Quod si pluribus annis hoc perfecti amoris exercitium praedicto modo continuetur, quam incomparabiles tandem meritorum acerui colligentur? quam inastimabili cum gratiae incremento id tota vitâ continuauit B. Virgo, quam probabile est ultimo charitatis actu ex tota latitudine habitus elicito gratiam tota vita acquisitam in duplum auxisse? Feruor actus charitatis perfectè frequentandi exemplo B. Virginis.

III. *Quod demum præstantissimum sit medium, ad optatum perseverantiae donum, & eximum gloriae brauium securè pertingendi. Quid enim ille*

Ecc

sub

sub finem vitæ timeat ne deseratur  
Deo, quem tota vita amavit, cum quo  
vnum spiritus fuit: paueat qui nō amat.  
**E**t eur non meritò amplum gloriæ ex-  
pectet brauium, qui tot actibus chari-  
tatis tota vita frequentatis conatus  
fuit continuum gratiæ, quod est se-  
men gloriæ in dies & horas acquirere  
incrementum? Quanto cum gaudio  
B. Virgo alijque Sancti charitate fer-  
uentiores id in fine vitæ experti fue-  
rint, æternumque experiantur? Vi-  
nam & nos experiamur. Affectus ij-  
dem.

XIII. *De Natura, Proprietatibus, & Incita-  
mentis gaudij spiritualis.*

I. **E**xpende in quo consistat exerci-  
tium gaudij spiritualis, videlicet  
ut gaudeamus 1. de omnibus bonis  
Dei intrinsecis, vti de eius infinita es-  
sentia, perfectione, beatitudine, ama-  
bilitate; & de bonis extrinsecis, vti de  
omni laude, gratiarum actione, cultu,  
obsequio, gloria ipsi à creaturis un-  
quam redditâ, reddenda, & possibili  
reddi. 2. De omnibus bonis naturæ,  
gratiæ, gloriæ nobis, proximisque no-  
stris tam comprehensoribus: quam  
via-